



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 260. Iube ergo custodiri sepulchrum. v. 64.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

iora sua consilia efficerentur ipsis peiora prioribus & ideo vel impedire conabantur eius resurrectionem per custodiam sepulchri, à militibus & sigillationem & oclusionem rimarum. Sed eo ipso fecerunt resurrectionem eius multo magis testatam ô stulti, & tardi corde! quodcunque apparatis vobis in remedium vertitur in exitium, & quod Christo paratis in probum proficit illi in auctoramentum. Sed & in hoc fatui fuistis quod ipsimet sepulchrum tam modico tempore non custodistis, qui scitis milites pecunia posse corrumpi, uti etiam ipsi corrupistis.

O Deus, quam cæcus & insanus est omnis peccator! videns non videt, & audiens non audit. damno igitur peccata, damno passiones malas, credo tibi subijcio me tibi, tu obsecro da gratiam, ut quod credo impleam, & eodem fruar gloriofus in die iudicij &c.

§. 260. *Iube ergo custodiri sepulchrum. v. 64.*

Qui sunt isti, qui hoc dicunt? Illi qui onera gravia imponunt humeris hominum & digito nolunt ea levare. Illi dicunt: Iube custodiri. ô versutos ô generationem malam! dicitis Pilato Domine, & eum altero verbo in periculo & probro collocatis, ut quicquid ex ea custodia evenerit, vos periculo eximatis, & dicatis: Pilatus fecit, ipse custodes posuit &c. Sed si virtute divina excitabatur, an ne potentia humana poterit ei resistere vel impedire ut non resurgat? si divina virtute non resurgat, ipsummet non comparere vivum sufficienter, quod optatis, arguet, nempe eum non resurrexisse. ô igitur cæci duces & cæcorum doctores, fatui Principes.

Domine Iesux æternæ gloriæ, Iudæi petunt te custodire, ne resurgas & valde stulte hoc petunt, & stultiora adhibent remedia suo timori. plene video, nisi cum homine sit tua sapientia, quod vane laboret, vane acquirat, vane custodiat. Ego peto à te custodiri Domine, ideo, ecce, aperio tibi cor meum, ut ibi locum custodiæ habeas & quiescas, mecumque maneat & labores ut nihil agam, dicam vel cogitem, nisi quod cedat ad maiorem tui gloriæ & ad meam totiusque populi Christiani salutem.

§. 261. *Ne forte veniant discipuli eius & furentur eum. v. 64.*

Ut fatuitatem suam Principes illi palliarent aliquo prudentiæ velo, dignum patella sua confinxerunt operculum, scilicet ne discipuli furentur eum. Frivole sane, nam venient discipuli ut furentur eum mortuum quem vivum deseruerunt? ad quid ô Iudæi furabuntur discipuli corpus Iesu, quod iam à Pilato publicè impetratum & acceperunt? an ut honorem alium exhibeant sepulturæ, quam habuit? minime gentium, alii pauperes sunt, hi omnia reliquerunt propter hunc magistrum suum, qui ipsos docuit non furari.